

latitudine sui imperij superavit; cur ergo cum tam prestantissimus esset, absque tubore nudus incedit? Quia prestantissimus erat cum naturae integritate, contentus erat necessariis, quae natura dedit, superflua omnino reiiciens. Pulchre Auctor habitus D. August. q. 8. ex nono Testam. Ex hoc, ait, sumitur argumentum eiusdem prestantiae, quod erat, qui solis necessariis ad naturam integram constitutionem sese super omnia efferebat corporalia, aduentitiosque alios ornatus, ut superflui repudiaret.

August.

49.

Cum populus in deserto fame laborasset: Murmuravit contra Moysen, & Aaron, dicens: Vrinam mortui essemus in Aegypto quando sedebamus super ollas carnis, & comedebamus panem in saturitate. Tunc ait Deus Moysi: Ecce ego vobis pluam panes de caelo, egredietur populus, & colligat quae sufficiunt per singulos dies, Exod. 16. n. 4. Cur non ait Deus, colligat populus ad saturitatem, seu quantum habuerit in desiderio: Nonne in Aegypto fuerunt se comedisse panem usque ad saturitatem?

Exod. 16.

Sufficiencia dat panis caelestis, superflua emittit.

Comedebamus panem in saturitate. Si Deus pacit populum suum in deserto, cur ei non dat eandem saturitatem, ac abundantiam, usque ad vomitum, quam habebat in Aegypto; sed ait, Colligat populus per singulos dies, quae sufficiunt? Haec differentia est inter mundanum, ac caelestem panem, quod mundialis panis inferuit, ac datur usque ad saturitatem, ac superfluitatem; Caelestis vero panis conceditur pro ut necessarius est, ac sufficiens pro indigentia humana. Metonenis Episcopus Auctor Catene Aureae in Exod. Antea, ait, promittit panem de caelo praestandum, quem nullo negotio populus collecturus sit, ad sufficienciam quidem, non autem ad superfluitatem, quae populo Dei inutilis, & perniciose fuit semper. Vide in Indice Superflua.

Auctor Catene Aureae.

QVÆSTIO IX.

An Christus infederit super asinam, & pullum, vel super unum solum?

50. Super asinam infedit.

NOTANDUM est in limine huius quaest. quod Christus non sedit super asinum, sed super asinam, sic expressè patet ex textu Matth. Invenietis asinam, & pullum eius. Et iterum: Adducunt asinam, & pullum, & Zacharias. Sedens super asinam. Ut ibi docent D. Remig. Albert. Magn. Hugo, D. Chrysof. homil. 65. in Ioan. & Theodor. Lyran. Caiet. mox citandi. Christus Dominus potius usus est asina, quam asino, tam ob mysterium, ut mox dicam, tum etiam quia asina est pigrior, & in operis executione deterior asino, ut scribit Plinius lib. 8. cap. 43. & D. Chrysof. in Imperfecto hom. 37. de asina loquens, sic ait: Est enim animal praeter ceteris penè inmensè irrationale, & stultum, & infirmum, & ignobile, & oneriferum. Ac proinde cum per asinam denotetur peccator maximè debilis, ac infirmus, ab ipsa eius infirmitate Dominus commiseratione provocatus illum ad se advocat, ut eum erigat, corroboret, ac confirmet.

Remigius. Alb. Magn. Hugo. Chrysof. Theodor. Lyran. Caietan. Plinius.

Chrysof.

51.

Quaestio praesens est, an Dominus infederit super asinam, vel pullum eius, de asina solum facit mentionem D. Matth. Adducunt asinam, de pullo etiam ipse D. Matth. D. Marcus, D. Luc. & D. Ioan. ut patebit infra ex textu Evangelistarum adducendo; Christus autem non infedit super utrumque simul, ut est evidens. Ideo

52.

Hieron.

Prima sententia, quae est Hieronym. Euthym. Abul. q. 17. & 18. Iansen. Maldon. & aliorum, qui

astrunt Christum tantum super pullum sedisse, ut habent tres alij Evangelistae, intelligunt hic loqui per synecdochen, quia de vna re plurimum numero loquimur, ut cum dicitur ob effusum vinquentum Apostolos murmurasse, cum solum Iudam murmurasse constat; cum ergo dicitur, Super pullum, & asinam, dicunt intelligi super pullum filium asinae.

Abulens. Iansen. Maldon.

Probabilior, ac verior mihi est opposita sententia, quae affirmat Christum sedisse super utrumque animal, non simul, sed successivè. Hanc docent D. Chrysof. Theophyl. D. Thom. Beda, Lyran. Carthuf. Caietan. Hugo, Barrad. Lucas Burg. hoc loco in Matth. & ad cap. 9. Zachar. Ribeira, à Castro, Cornel. & alij. Hanc sententiam ipsa verba Zachariae, & Matthaei expressè ostendunt: Rex tuus venit tibi super asinam, & pullum. Et Christus ait suis discipulis: Adducite asinam, & pullum. Et confirmatur; quia turbæ super utrumque asinam, & pullum. Imposuerunt super eos vestimenta sua, & cum desuper sedere fecerunt, scilicet super eos, super quos straverunt vestimenta sua, sedit prius super asinam, deinde super pullum.

53.

Super utrumque animal. Chrysof. Theophyl. Beda. D. Thom. Carthuf. Lyran. Caietan. Hugo. Barrad. Burgens.

54.

Adhuc tamen inquirendum restat, quare Christus Dominus tam brevi spatio, ac itinere iumentum mutat? Respondemus id factum fuisse à Christo, non ob mollitiem, aut fatigationem, sed ob mysterium: illi enim omnis hic apparatus serviebat. Asina subiugalis significabat populum Iudaeorum, qui iugum legis veteris tolerabat: pullus, super quem nemo federat, representat indomitum, & exleges Gentiles, qui nulli legi colla submiserant. Utrumque enim populum tam gentium, quam Iudaeorum, ad se, & Ecclesiam, ac inde ad caelestem Ierusalem adducturus erat Christus. Ita D. Iustin. contra Tryphon. D. Cyrill. in Ioan. c. 12. Orig. hic in Matth. & D. Bonau. in c. 19. Luc.

Iustin. Cyrill. Origen. Bonavent.

55.

Per asinam etiam significatur anima humilis, & obediens Deo; per pullum vero anima innovata, ac reformata. D. Apollinar. in Catena Graeca: Per hoc, ait, quod pullo asinae infederit, nobis declarat, caelestem Ducem, & Ierosolyma Regem nono pullo infedisse. Pullus enim significat vocationis novitatem. Pullus novum, ac recens est animal, per quod significatur, quod Christus maximè novitate vitae in suis requirit; novitate, ac reformatione vitae tenetur Deus, cum antiqua veteris hominis abiiciuntur. Ait Ioannes: Vidi sanctam civitatem Ierusalem novam descendentem de caelo, à Deo paratam, sicut sponsam ornataam viro suo, Apoc. 21. n. 2. Quenam à Deo sponsa, seu anima Christo paratur: Illa nempe, quae novitate vitae, novisque fecibus, ac virtutibus ornatur, & fulget. D. Zeno lib. 2. ferm. 24. Exultate igitur fratres, ait, adificationemque vestram ade ista, de novella cognoscite.

Apollinar.

Dei amat novitatem vitam in anima.

Apoc. 11.

Zeno.

QVÆSTIO X.

Quare Christus dicitur Rex veniens mansuetus, cum hac ipsa die ingressus in templum, vendentes, & ementes multo rigore eiecerit?

56.

IPSOMET die, quo Dominus hoc triumphali apparatu ingressus est in Ierusalem, introiit in templum, ut docet D. August. lib. 2. de consensu Euang. cap. 68. Illa die, qua cum pompa civitatem, & templum ingressus est Dominus, vendentes

August.

Abulens. Ratio difficultatis.

Matth. 21.

57. Quidam crimina non apparent, mansuetudo, cum videntur, rigor.

58.

Apocal. 5.

Ambros.

Index ut Agnus cooperito crimine, manifestato vero ut Leo.

Bernard.

Abulens. Ratio difficultatis. dentes eiecit. Et Abulens. q. 61. tenet, quod cum Dominus intrasset civitatem, antequam ad alia diuiteret, statim iit in templum, ubi feruido zelo diuini honoris cum rigore eiecit ab omnes vendentes, & ementes in templo: & mensas numulorum, & cathedras vendentium columbas evertit, Matth. 21. n. 12. Si ergo Dominus tam rigidum in ipso die, ac ingressu se ostendat; quomodo dicitur mansuetus.

Respondet. Christus Dominus natura, ac ingenio suo rex mitis, & mansuetus, & talè semper in operibus, ac actionibus suis se exhibebat, & cum omnia sint nota, & aperta eius diuinæ cognitioni, & nihil sit, quod se abscondat ab eius intuitu, tamen in his vult dare formam, ac documentum principibus, ac Regibus, qualiter se debeant habere; quando crimina non obiciuntur, mitis, ac mansuetus incedat princeps; at verò cum illa apparent, ac ei representantur, rigidus, & seuerus sit princeps tanquam leo, ut delicta puniat, & crimina vindicet, ac pro legum defensione puniat; Christus rex mitis, ac mansuetus, ac ingreditur in templum videns contemptum domus Dei pro diuino honore feruidus zelator eiecit vendentes, ac ementes, & mensas numulorum, & cathedras vendentium columbas evertit.

Vidit Ioannes in dextera sedentis librum signatum sigillis septem, & ipse flebat multum, quia non inueniebatur quis posset librum aperire; & subdit quod vidit Agnum stantem tanquam occisum, Et venit, & accepit de dextera sedentis in throno librum. Et cum aperuisset librum, &c. Apoc. 5. n. 7. Et quando vnus de senioribus decantat gloriam ob librum apertum, ait: Viciit Leo de Tribu Iuda, radix Dauid, aperire librum, & soluere signacula eius. Quid est quod Christus Dominus cum librum est clausum dicitur Agnus, vidit Agnum stantem. Cum verò soluitur liber, Leo acclamatur: Viciit Leo. Liber ille ut vult D. Ambros. Chronologia erat totius mundi, ac ut multi tenent, in eo erat scriptum peccatum Adami, ac filiorum eius. Cum ergo hic liber est clausus, dicitur Dominus Agnus, at verò cum aperitur, Leo. Discant ex hoc iudices, quod quando delictorum codex clausus est, & ipsa crimina non apparent, sint mansueti tanquam vnus agnus; at verò cum soluitur codex, & crimina adeorum notitiam veniunt, se habeant tanquam Leo, ut puniant, & minimè dissimulent. Huc aduocò id, quod dixit D. Bernard. ferm. 1. de Paschate: Leonem Ioannes audiverat, & Agnum vidit: Agnus aperuit librum, & apparuit Leo: dignus est non amittere mansuetudinem, sed accipere fortitudinem, ut agnus maneat, & Leo sit. Agnus, & Leo; Agnus mansuetudinem declarat, Leo fortitudinem, ut puniat, ut non remittat. Vide supra cap. 28. n. 3. 3. & 34.

Matth. 21. Euntés autem discipuli fecerunt, sicut praecepit illis Iesus.

Num. 7. Et adduxerunt asinam, & pullum: & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt.

VERSIONES.

Syriacus n. 6. Profecti sunt itaque discipuli fecerunt. Sylveira in Euang. Tom. IV.

Euthymius. Exeuntes autem discipuli. Arias. Et facientes, sicut praedixit illis Iesus.

Syriac. n. 7. Et imposuerunt pullo vestimenta sua, & equitavit super eum Iesus.

Pagninus. Super illa collocauerunt vestimenta sua.

Arias. Super eos vestimenta sua, & infedit super eos Iesus.

Origenes. Et infedit illis Iesus.

ALTER TEXTVS.

Marc. 11. n. 4. Et abeuntes inuenerunt pullum ligatum ante ianuam foris in biuio, & soluunt eum.

Num. 5. Et quidam de illis stantibus dicebant illis: quid facitis soluentes pullum?

Num. 6. Qui dixerunt eis, sicut praeeperat illis Iesus, & dimiserunt eis.

Num. 7. Et duxerunt pullum ad Iesum: & imponunt illi vestimenta sua, & sedit super eum.

Luc. 19. n. 32. Abierunt autem, qui missi erant: & inuenerunt sicut dixit illis stantem pullum.

Num. 33. Soluentibus autem illis pullum, dixerunt Domini eius ad illos: quid soluitis pullum?

Num. 34. At illi dixerunt: Quia Dominus eum necessarium habet.

Et duxerunt illum ad Iesum: iactantes vestimenta sua super pullum, imposuerunt Iesum.

EXPOSITIO II.

VNTES autem discipuli fecerunt. Ostenditur prompta discipulorum obedientia, non contradicunt, nec respondent, sed sedulè Domini mandata exequantur, simulque declaratur promptum heri animalium obsequium. Nam quamuis soluentibus discipulis pullum, Domini eius dixerunt ad eos, quid facitis? ut patet ex textu Marci, & Lucae, tamen cum Christi mandatum agnouissent, non respondent, sed statim dimittunt animalia. Querit Carthusian. Quomodo Domini animalium per discipulos intellexerunt Christi mandatum. Respondet ipse, quod agnouerunt eos esse Christi discipulos ex habitu, gestu, modestia, ac modo loquendi.

59.

Marcus. Lucas. Carthuf.

60.

D. Thom. Rom. 1.

Et adduxerunt asinam, & pullum. Ministerio quidem suo, virtute tamen Christi; per hoc significatur, ut ait D. Thom. quod discipuli conuerteret & Iudaeos, & Gentiles, ut haberet Rom. 1. Gracis, ac barbaris.

barbaris, sapientibus, & insipientibus debitor sum. Et inde subditur: Et imposuerunt. Scilicet discipuli Domini, super eos scilicet asinam, & pullum adductos, ait Euthymius: Ignorantes super quem illorum vellet vehi, scilicet Dominus, vestimenta sua. Pallia nempe, summas, siue extimas vestes, quasi stragula adornatum, & pompam, vt honestius incederet, vt ait Carthusianus: Et cum de super sedere fecerunt, aliqua Græca exemplaria habent: Sed super ea. Euthymius, Theophylactus, Maldonatus explicant sedit super vestimenta. Lucas Burgens, hoc refert ad animalia, ad asinum, & pullum. Super sedere fecerunt. Tanquam si inuitus, & coactus ad illum honorem ascenderet, hoc enim significat, super sedere fecerunt.

QVÆSTIO XI.

Quare hæc animalia sub dominis sunt foris in biuio. Sub Christo verò vestibus sternata, ac via florida incedunt?

61. **I**T D. Marcus, quod discipuli: Abentes inuenerunt pullum ligatum ante ianuam foris in biuio. Per quod significatur quam facile, ac promptè discipuli inuenerunt animalia, quæ Iesus absens prædixerat; animalia sunt inuenta non in domo, sed foris, & in biuio, vbi à longè, & vndique videri poterant.

62. **P**ro quæstione præsentis prædicta Euangelistæ verba commentans D. Athanasius sermone de Ramis Palmarum: Discipuli, ait, profecti in pagum, qui ex aduerso est, &c. Nullus eorum negotia obit, nemo eorum abscedit, imò nullum aliud opus illis manibus: omnes pariter, non in aliud occupati sunt, quam vt asellum in biuio alligent, asinus interiorum diuersorum non habet, præsepe non habet; non est qui in forum descendat: id tantummodo agitur, vt pullus in biuio vincatur, omnes Domini eius seruandi causa in proximo assident. Valde mirum est, quod Domini horum animalium tam duri, ac crudeles essent in illa, vt ea non haberent nec in diuersorio, nec præsepi, sed in biuio sub dio pluuiis, frigori, ac iniuriis temporum exposita; vnde illis tanta crudelitas? Hæc animalia peccatores præfigurabant: Tanquam iumentum factus sum apud te. Domini autem demones denotant, qui valde crudeles sunt in eos, quos suorum peccatorum vinculis ligatos tenent; superque multa mala congeminant, & multiplicant, & ideo iuxta D. Lucam hæc animalia non erant sub vno, sed multis dominis. Dixerunt Domini eius ad illos. De quibus sic pergit citatus D. Athanasius: Vnusquisque eorum eorum vincula vinculis congeminauit, & omnibus modis vt ipsi in tuto esset, omnem curam adhibuerunt, & vt ego existimo, pedes quoque eius concauerunt. Ecce conditio hominum sub iugo demonum.

63. **A**t verò cum ad Christum adducitur, qualificam eius fors? Eam perbellè explicat allegatus D. Athanasius: Caterum Dominus, ait, qui ideo iter susceperat, vt predicaret capriuis remissionem. Mandat discipulos suos, vt dissoluant asinum: cui, cum ita solutum haberet, præsepe adificat, & pabulum apparet: id enim Propheta cum indicare vellet: Dominus, ait, pascit me, & nihil mihi deerit; in loco herbido, ibi me collocauit. Pullus cum asina sub dominis suis nempe, sub demonum potestate

erat alligatus, in loco horrido, & fetido, sine pabulo, nec feno, nec hordeo, de his nulla fit mentio, expositusque erat frigori, ac temporum calamitati; at cum ad Dominum adducitur, soluitur, vestibus discipulorum consternatur, ad viam ramis palmarum, ac oliuarum sparsam venit, ad pabulumque præiucundum producitur. Dominus pascit me, & nihil mihi deerit, in loco herbido ibi me collocauit. Ecce quanta miseria, ac calamitas sub demone, quantaque felicitas, ac suauitas sub Deo, & tamen viam difficilem, ac laboriosam peccati homines appetuntur, à dulci, ac suauis via Dei fugiunt, & declinant.

64. **A**guas diuinæ gratiæ omnibus Gentibus offert Isaias 55. num. 1. Omnes sitientes venite ad aquas; & qui non habetis argentum, properate; venite, emite, absque argento, & commutatione vinum, & lac. Quod ita facile proponitur, vt ipsa voluntas bibendi sit pro pretio. Vt dixit Gregor. Nazianz. orat. 40. in sanctum Baptisma: O facilem contrahendi rationem: cupiditatem ipsam Deus ingentis pretij loco habet. Et cum tam facilis, ac suauis sit potus oblati à Deo, nullus legitur ad illum currisse, ac ex eo potasse. At verò calix demoniorum plenus amaritudine, & absynthio vsque ad ebrietatem bibitur. Vt testatur Ierem. 3. n. 15. Repleuit me amaritudinibus, mebruiuit me absynthio. Non solum plenus erat calix amaritudine, sed multis amaritudinibus cum acri, & severo absynthio. Quid est quod ad dulcissimas Dei aquas cum lacte, & vino, nullus hominum dicitur currisse? Ex calice verò demonum ita bibitur, vt etiam tota amphora exhaurita vsque ad ebrietatem veniat? O misera, & caeca hominum conditio, vt à dulci, ac facili potu à Deo exposito fugiant, & declinent, & ad demonum calicem amaritudine, angustia, ac absynthio plenum libenter currant, illoque inebriantur. D. Gregor. lib. 20. Moral. cap. 15. Humanum genus, ait, in voluptatibus suis sibi dimissum, per eadem voluptates spontaneis tribulationibus traditum, absynthio est ebruum, quia & amara sunt, quæ pro huius vite amore tolerat; & tamen eandem amaritudinem cæcitatis cupiditatis, quasi insensibilitate ebrietatis ignorat.

65. **S**anctatem pro sua lepra postulat Naaman à parente Elisæo, cui ait Propheta: Vade, & lauare septies in Iordane, & recipies sanitatem caro tua, atque mundaberis, 4. Reg. 5. num. 10. Quo audito Princeps militiae regis Syriæ non solum contemnit remedium, sed etiam valde iratus patriam repetebat; sic irascitur, nonne sepe pro oblectamento, ac delitiis homines in fluuiis abluunt? Nam vt quidam dixit ei ex suis: Si rem grandem dixisset tibi, Propheta, certe facere debueras: quanto magis, quia nunc dixit tibi: Lauare mundaberis. Cur sic difficilis ad suauem sanitatis balneum, cum videamus Sacerdotes Baal pro illius cultu se sanguine proprio lauare, ac cruentate cultris? Incidant se iuxta ritum suum cultris, & lanceolis, donec perfunderentur sanguine, 3. Reg. 18. num. 28. seu lauarentur sanguine. Res mira; Naaman renuit lauare se in Iordane, quod frequenter homines pro delitiis faciunt; & tamen ministri idoli, tam durum onus sibi imponunt, vt multa sanguinis effusione, cum cultris, ac lanceolis semetipsos abluant. Naaman ex Dei iussione per os Prophetæ talè mandatur se abluere in flumine. Sacerdotes Baal ex demonis impulsu se cultris dilacerant. Vnde tam dispar ratio? Tam obstinata est humana conditio, vt diuino mandato suauis, ac dulci

Homines ad viam laboriosam peccati sursum à Dei via suauis fugiunt.

64. Isai 55.

Nazianz.

Ierem. 3.

Dei aquas non gustant homines, munda amaritudine replentur.

Gregor.

65. 4. Reg. 5.

3. Reg. 18.

In re suauis homo renuit Deo, in difficultate obediens diabolo.

cum oblectamento pro sanitate habenda; multum renuat, ac difficile se habeat, at ad mundanum obsequium etiam cum proprio dolore, ac sanguinis profusione facilis, ac libens cutrat, & volat.

QVÆSTIO XII.

Quare discipuli ponunt vestimenta sua super asinam, & pullum?

66. Abulens.

RIMAM rationem assignat Abulens. q. 31. quia fortasse animalia illa non habebant stramenta, super quæ Christus sederet, & hoc est multum verisimile, præcipue quoad pullum, super quem nullus vnquam hominum federat, vt scribitur D. Marcus, & Lucas; & consequenter non habebat stramenta, quæ non ponuntur, nisi asinis domitis, super quos quis sedet, vel onus eis imponitur, & ideo cum deessent stramenta pullo, eorum loco fortasse posita sunt vestes discipulorum. Secundò fuit adornatum, & decentiam, vt Christus super illa sederet, vt iam dixi ex Carthusiano in expositione.

67. Carthuf. Origenes.

Tertiò. Origenes homil. 14. in Matth. Adducens ergo, ait, ad Christum asinam, & pullum, nudos eos non dimiserunt, sed ornamenta eis imposuerunt, quibus fuerant cooperti, honestatem eis adiciens, quos suo studio soluerant ipsi. Soluunt, & adducunt asinam, & pullum Apostoli, & quia stramenta non habebant, vt ait citatus Abulens, eis imponunt sua vestimenta, ornamenta eis adiciens, non ex alieno, sed ex proprio, ita vt suas vestes detraherent pro eis componendis vestibus, quibus fuerant cooperti, honestatem eis adiciens.

Adornant ex suo.

68. Hieron.

Tertiò. D. Hieron. in præsentis: Pullus iste, ait, & asina, quibus Apostoli sternunt vestimenta sua, vt Iesus mollis sedeat: ante aduentum Saluatoris nudi erant, absque operimento frigeant. Postquam vero acceperunt Apostolicas vestes, pulchrioris effecti, Dominum habere sessorem. Vestis autem, vel doctrina virtutum, vel disertio Scripturarum intelligi potest, quibus nisi anima instructa fuerit, & ornata, sessorem habere Dominum non meretur. Per asinam, & pullum intelligit S. Pater Gentiles, qui cum ante Christi aduentum operimento, ac doctrina Apostolorum carerent, frigeant, minimeque apti inueniebantur, vt in eis Dominus sederet, ac collocaretur, non enim venire, ac sedere solet Deus, nisi in his, qui doctrina Apostolorum, ac eorum pretiosis virtutum ornamentis condecorantur.

69. Bernard.

Quartò. D. Bernard. serm. 1. de Purificatione: Homines, ait, & iumenta saluabis, Domine, cum multiplicaueris misericordiam tuam, Deus; Neimem itaque designatur, nec ipsos, qui computruerunt tanquam iumenta in stercore suo: non designatur, inquam, sed si Apostolica vestimenta non desint, si doctrina eorum, si morum iustitia, si obedientia, si charitas cooperat multitudinem peccatorum. Christus Dominus suprema Maiestas, qui sedet super Cherubin, & ambulat, super pennas ventorum, & tamen nunc patitur ab humili animali vehi. Cooperitur Apostolorum vestibus. Imposuerunt super eos vestimenta sua. Moraliter instruitur hoc documento, quod licet quis sit valde conditione abiectus, si tamen illorum virtutibus

Abiectus si virtutibus condecoratur, nullum sublimatur.

insignitur, ac nobilitatur, dignus eorum fructu in portanda suprema Christi maiestate efficitur.

Quintò. D. Chryostom. in Imperf. & hom. 37. Turba, ait, que vestimenta sternebant in via, credentes erant, ex circumcisione, qui gloriam, quam habebant ex lege, videntes Christum deiecerunt in terram; & cum Apostolo dicebant: quæ mihi fuerunt lucra: hæc estimam propter Christum derrima, & arbitror stercore esse, vt Christum lucrifaciant. Apostoli, ac discipuli Christum verè sequentes omnia sua propter ipsum demiserant, omniaque ob illius amorem derrima, ac stercore arbitrati sunt, libenterque vestes, ac pallia, quibus tegebantur, exuunt vt Christo præstent obsequia, qui enim pro Deo magna reliquerunt, non reculant pro ipso parua contemnere. Eleganter Tertullian. lib. de Patientia: Absit, ait, à seruo Dei tale inquinamentum, vt patientia maioribus tentationibus preparata, in frivolis excidat. Qui enim pro Deo mundi magnalia abiecerunt, parua retinere dedignantur.

70. Chryost.

Quæ contempti magna, non recules relinquere parua.

Tertullian.

Iob omnibus bonis, ac filiis spoliatus iuxta lectionem Septuaginta, cap. 2. num. 8. Sedebat supra acerum stercoris extra ciuitatem. Cur magnus athleta non manet in ciuitate, vt pro maiori dolore videret locum, in quo ipse cum multis bonis, ac magna filiorum copia regnauerat? Magnus Iob libenter ob Deum amisit regnum, ciuitatem, palatium, suos filios, cum omnibus suis bonis, etiam voluit renuntiare minimis, & abiectum locum in ciuitate, nec qui omnium suorum bonorum consolationem amiserat, ex vno infimo ciuitatis loco, voluit consolatiunculam capere. Origenes lib. 2. in Iob: Cur, ait, in ciuitate maneam? Cum re, ac filijs, & ciuitate, & domibus carni. Cum re familiari, ac liberis, corona regni ablata est mihi. Nunc verò cum regno, relinquam etiam ciuitatem, ac domum.

71. Iob 2. Septuag.

Origenes.

6. Matth. 21. Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via: alij autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via.

9. Turbae autem, quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant dicentes: Hosanna filio Dauid: Benedictus qui venit in nomine Domini: Hosanna in altissimis.

VERSIONES.

8. Syriacus 2. Plurimæ autem turbæ sternebant pallia sua in via.

Clem. Alex. Cum carpissent pueri ramos oleæ, vel palmarum.

5. D. Hilar. Can. Turba, & præcedens, & in Matth. consequens dicens.

9. Clem. Alex. Exierunt obuiam Domino, & clamauerunt dicentes: Lux, & gloria, & laus cum supplicatione Domino.